

**AUGUSTI. TOMUS SECUNDUS.
QUINTA DIES.
DE S. OSWALDO REGE AC MART.
IN ANGLIA. VITA.**

**Auctore D. Drogone monacho cœnobii
Winnocibergensis in Flandria. Ex
ejusdem monasterii Mss.**

PROLOGUS AUCTORIS.

[1] [Auctor nonnulla præfatus de studio sanctæ lectionis,] Plerisque mortalium bonum ac pium studium sanctæ lectionis exercitationi idcirco exigitur, ut inde interior homo, bonis assuescendo, solerti ingenio assidue pascatur. Unde totius bonæ vitæ exemplar, tum vero optimorum morum consuetudo, quot diebus intentæ mentis auribus quærendo, intendendo, paulatim expurgando augentur. Nam torpens animus hinc, unde evigilet, habet; hinc, unde sese a torpore excutiat, tenet; hinc sui regimen juris, modo vitando probra, modo quærendo optima sancit; inde etiam, quibus accendatur, bona mirando, bona alterius quidem imitando, tum vero operando, quibus eniteat, cernit. Huc accedit, quod in omni luctamine, sive in omni palæstræ exercitio imminentis hostis tela vitat, qui doctus cautusve in primis magisterio alterius ad id agendum informatur, & a quo id ipsum longi usus assiduitate adhibetur. Sic sic nimirum ita hæc excudere nimio usu quisque fidelis debet: nunc prævia facta bonorum miretur, nunc implendo laude digna acceleret, sese interdum, interdumque torpentem mentem excutiat; quodque boni justique est, solers memori pectori condat. Hujusve rei exercitatio diligensque studium a morali disciplina magistræ menti

adjunguntur, cum historiae veritas virum talem, quem digna oratione pandit, cujus vitae mores optimi, praeterea bona opera, tum autem sollicitudo sui, suorumque testimonio sint, ut imitentur.

[2] Id etiam perpendens, vestraeque petitioni voluntatique, [Vitam & miracula S. Oswaldi legenda; exhibet,] fratres, satisfaciens, vitam martyriumque sancti Oswaldi regis, seu miracula ejusdem in uno opere conjunxi, vobisque descripta misi, ut, cujus reliquias pio amore amplectimini, ejusdem vitam & actuum bona valeatis imitari. Verum, ne quis existimet, mea fore, quae conjunxi, excusatum venio, sed esse beati Bedae presbyteri dilucidata stylo. At nos ejus ipsius ordinata scripta, versa serie, in ordinem taxavimus; modo praeposita postponentes, modo postposita praeponentes; quippe qui historiam sequens, ubi digna oratio exigebat, praeposita sequentibus postposuit, quique, uti eadem coegit, sequentia praecedentibus orditum iri voluit. Tum autem ubi tanta historia adegit virum abbreviare orationem, nos paululum dilucidavimus, addentes de nostro, quae idem fortassis diceret, si brevitatis sententiarum vel materiae sineret. Ergo munus vestri filii, immo vestri servi, a nobis expostulatum suscipite, & imperfectum mei vestris orationibus juvate, ut inde vestra ope sustinear sedulo, unde mihi ruinae peccati imminens periculum timeo.

[3] Omnipotentis insita forma boni, summæque gloriae firma & aeterna dispensatio id praevidet, humanis actibus mortalium ut juxta discretionem personarum caeleste praemium reddatur. [praemissa brevi alia praefatione.] Et quanto altiori potentia quis utitur super caeteros mortales, tanto majori clementiae Domini pietate elevatur, si ipsi Domino mente, actu, sollicitudine continui exercitii famulatur. Id siquidem competit aeternae immutabilique altitudini, ut vir quivis altus tum opibus, tum ingenuitatis

summa inaltetur majoris præmii gloria, si in ipsa sui honoris terrena potentia, humilitatem, patientiam, dilectionem Dei ac proximi, cæterasque virtutum artes amplectitur. Nec impedit nostram orationem Apostoli dictum: Non est acceptio personarum apud Deum: cum unum dictum sit a nobis de remuneratione gloriæ ac præmii; alterum dicat Apostolus de sententia judiciali. Aliud est enim iudicii æqua sanctio; aliud quidem habetur digna gloria in præmio. Verum jam id omittamus, & ad narrandi ordinem calamum vertamus.

ANNOTATA.

Diceres, hinc moveri suspicionem, quod auctor, quia hanc Vitam ad suos synascetas misit, cum iis tunc non habitaverit.

CAPUT I.

Natales, educatio, administratio regni, victoria per crucem relata, ejusdem prodigia.

[S. Oswaldus, patre vita functo, in Scotiam proficiscitur, & Catholice educatur,] Igitur ortus a fuit Oswaldus alto & longo sanguine regum, filius Edelfridi regis, qui ante Eadvinum regem super gentem Northanimbrorum regnaverat, fortissimus in factis, gloriæ cupidissimus; qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem vastavit Britonum: ita ut Saüli quondam regi Israëliticæ gentis videretur comparandus, excepto dumtaxat hoc, quod divinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis vel subjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud, quod benedicens filium patriarcha Jacob in personam Sauli dicebat, aptari: Benjamin lupus rapax: mane comedat prædam, & vespere dividet spolia. Mater vero ejus non minus regali stirpe, & adeo nobili prosapia, de eadem

gente agnoscitur procreata. Sicut ergo rosa de spinis, sic idem Oswaldus de paganis parentibus ortus est.

Verum ejus patre mortuo, propter metum Eadui regis, qui patri illius in regnum successerat, parvus puer ductus est Dei providentia in Scotiam; ubi quamdiu regnavit Eaduinus, cum multis nobilibus Northanimbrorum exulavit. Ibi denique institutus est bonæ indolis puer ad doctrinam Scotorum, sequi veram religionem, Deum diligere juxta evangelici scripti præceptum, cui proximo compati, subvenire oppresso calumnia, large inopi necessaria indulgere, nudo vestem, alere esurientem.

[5] Omnia quoque, quæ virtutis habentur, agere; vitiorum seu voluptatis deceptivam mollitiem cavere. [ac virtutibus] Quid plura? Cuncta, quæ optimæ virtutis, quæque bonitatis sunt, tenere. Cum ergo esset hujusmodi puer, evasit in adolescentiam: præterea autem in robor ætatis, eadem, quin etiam majora agere haud omittens. Verum enimvero vero Eadui in prælio interfecto successit ei in regnum Oswaldus, vir Deo dilectus, clarus iisdem virtutum muniis, quæ ante memoravimus.

Suscepto igitur regno Northanimbrorum, cœpit omnimodis meditari, [regnum a se susceptum egregie administrat,] eniti, ut Christianitatis religio, ubi ubi polleret, & dilataretur, & ecclesia de fructu fidei successu pacis prosperando cresceret, & crescendo prosperaretur. Cœpit igitur curam regni sui gerere, tutari fines suos ab inimicorum incursibus, providere suæ suorumque saluti: & cum persæpe negotiis regni occuparetur, mente sedula id quidem agitare; ut sancta religio semper foret sibi sollicitudini. Nam cujus mentis esset, quantamque spem in Deo haberet, in initio sui regni apparuit.

[6] Construxit namque templum honorabile beati Petri Apostoli, [Aidanum ad informandos subditos e Scotia

accersit.] quod mirifice decoravit, & dignos ministros, qui ibidem Deo deservirent, regio usu deliberavit. Verum cum primo præmeditaretur tota mente Deo omnipotenti famulari, & id fieri posse arbitraretur, si servos ejus ministrosque divini verbi suæ fidei asciscens adjungeret, misit ad Scotiam, & inde ascivit Aidanum, virum plenum Deo, sanctissimum, actu honestum, pudicum, qui suæ genti præesset, & sibi cæterisque verbum Domini prædicaret. Nam hodie Scotia religionem Anglorum parvipendit, & barbari moris etiam homines religiosos affirmat. Quin etiam ob meritum solers, obque bonum animum præfati regis, quam plures optimæ famæ monachi, clerici sive Deum timentes laici, sanctum Aidanum secuti sunt, ut prædicationem verbi Dei genti Northanimbrorum impertirent, eique cooperatores existerent: quos idem Rex honorifice suscepit, Deumque in eis veneratus est.

[7] Cum igitur idem rex Oswaldus, adeo vir clarus, [Ducem Britonum vincit,] hisce & aliis mente actuque virtutibus polleret; hostis, qui invidebat tantis virtutum muniis, adversus illum machinamenta fraudis insidiasque doli molitus est, & ducem Brittonum in eum movit; qui congregans fortissimam manum exercitus, præparatus ad prælium venit: confidens in tanta militum multitudine copiosa, cui resistere haud posse quemquam sperabat. Sed est solius Dei superare quamplures paucis, & de fortitudine gloriantes atterere. Nam collecto parvo exercitu, rex Oswaldus contra eum venit, & antequam committeretur prælium, verbis & fide suos armavit. Dein, auxiliante illi divina potentia, contriti sunt inimici, jam dictus dux occisus est, & pene omnes una disperiere, Deo dilecto Regi victoria cessit in loco, qui lingua Anglorum Denesesburna, id est rivus Denesi, vocatur.

Ex Beda lib. III, cap. II.

[8] [Col. 0095D] Ostenditur autem usque hodie, & in magna veneratione habetur locus ille, ubi venturus ad hanc pugnam Oswaldus, signum sanctæ crucis erexit, & flexis genibus Deum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere cruce, ac fovea præparata, in qua statui deberet; ipse fide fervens hanc arripuerit, ac foveæ imposuerit, atque utraque manu erectam tenuerit, donec, aggesto a militibus pulvere, terræ figeretur, & hoc facto, elevata in altum voce, cuncto exercitui proclamaverit: [erecto prius signo sanctæ crucis, Deoque pie invocato.] Flectamus omnes genua, & Omnipotentem vivum ac verum in commune deprecemur, ut nos ab hoste superbo ac feroci, sua miseratione defendat. Scit enim ipse, quia justa pro salute gentis nostræ bella suscepimus. Fecerunt omnes ut jusserat, & sic, incipiente diluculo, in hostem progressi, juxta meritum suæ fidei, victoria, ut diximus, potiti sunt.

[9] [locus, ubi hoc contigit, prodigiis clarus evasit] In cujus loco orationis innumeræ virtutes sanitarum postea noscuntur esse patratae, ad indicium videlicet ac memoriam fidei Regis. Nam & usque hodie multi de ipso ligno, signo sanctæ crucis, assulas excidere solent, quas cum in aquas miserint, eisque languentes homines ac pecudes potaverint sive asperserint, mox sanitati restituuntur. Vocatur locus illie lingua Anglorum, Heofenfeld, quod dici potest Latine cælestis campus. Quod certo utique præsagio futurorum antiquitus nomen accepit, significans nimirum, quod ibidem cæleste erigendum trophæum, cælestis inchoanda victoria, cælestia usque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus juxta illum murum ad Aquilonem, quo Romani quondam, ad arcendos barbarorum impetus, totam a mari ad mare præcinxere Britanniam.

[10] [ac religione celebris.] In quo videlicet loco consuetudinem multo jam tempore fecerant fratres Hagustaldensis ecclesiæ, quæ non longe abest, advenientes omni anno pridie quam postea idem Rex occisus est, vigiliis pro salute ejus animæ facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimamque pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam, crescente bona consuetudine, nuper ibidem ecclesia constructa, atque dedicata, sacratiorem & cunctis honorabiliorem locum fecere. Nec immerito, quia nullum, ut comperimus, fidei Christianæ signum, & nulla ecclesia, nullum altare in tota Bernitorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ crucis vexillum novus militiæ Ductor, dictante fidei devotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret. Nec ab re est, unum e pluribus, quæ ad hanc crucem patrata sunt, virtutis miraculum narrare.

[11] [Col. 0095F] [Brachium ejusdem virtute sanatum.] Quidam e fratribus ejusdem Hagustaldensis ecclesiæ, nomine Bothelinus, qui nunc usque superest, ante paucos annos, dum incautius forte noctu in glacie incederet, repente corruens, brachium contrivit, ac gravissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari, ita ut ne ad os quidem adducere ipsum brachium ullatenus, dolore arcente, valeret. Qui cum die quadam mane audiret, unum de fratribus ad locum ejusdem sanctæ crucis ascendere disposuisse, rogavit, ut aliquam sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret, credere se dicens, quia per hoc, donante Domino, salutem posset consequi. Fecit ille ut rogatus est: & reversus ad vesperam, sedentibus jam ad mensam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam non haberet ad manum, ubi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum sibi. Et dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore, cum evigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adjacere, admotaque

manu requirere cœpit, quid esset, & ita sanum brachium manumque reperit, ac si nihil umquam tanti languoris habuisset.

CAPUT II.

Sancti studium in propaganda apud suos Christi fide, opera pia; apostolici labores ac dotes Aidani episcopi.

CAP. III.

Idem ergo Oswaldus mox ut regnum susceperat, desiderans totam, [Sanctus in Anglia promovet Christi fidem annis Aidani ep.,] cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratia imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis barbaris jam ceperat, misit ad majores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis Sacramenta cum his, qui secum erant, militibus consecutus erat, petens, ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum, Dominicæ fidei dona disceret, & susciperet Sacramenta. Neque aliquanto tardius, quod petiit, impetravit. Accepit namque pontificem Aidanum, ut jam dictum est, summæ mansuetudinis, ac pietatis magnique moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamvis non plene secundum scientiam.

[13] [qui non in omnibus sapit secundum prudentiam.] Namque diem Paschæ Dominicum more suæ gentis, cujus sæpius mentionem fecimus a quartadecima luna usque ad vicesimam observare solebat. Hoc etenim ordine Septemtrionalis Scotorum provincia, & omnis natio Pictorum illo adhuc tempore Pascha Dominicum celebrabat, æstimans se in hac observantia sancti ac laude digni patris Anatolii scripta secuturam, quod an verum dsit, peritus facillime cognoscit quisque. Porro

gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, jam dudum ad admonitionem Apostolicæ Sedis Antistitis, Pascha canonico ritu observare didicerunt. Venienti igitur ad se episcopo rex locum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus, accedente ac recedente reumate, bis quotidie instar insulæ maris circumluitur undis: bis renudato littore contiguus terræ redditur.

[14] [S. Oswaldus cooperatur in salutem animarum,] Hujus itaque verbis atque admonitionibus humiliter ac libenter Rex in omnibus auscultans, Ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter ædificare, ac dilatare curavit: ubi pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut euangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse Rex suis ducibus, ac ministris, interpretis verbi existeret cælestis, quia nimirum tam longo exilii sui tempore linguam Scotorum jam plene didicerat. [Oh celebrem Regem, in omnibus suis actis laudandum, prædicandum, imitandum! Huc, huc David cælestis cytharista veniat, huc Rex egregius properet. Hic namque ante arcam Domini cytharam percutit, saltat, nudus jocatur, inversum obambulat; alter vero ab ore episcopi verbum Domini suscipiens, plebi ministrat. Uterque vero in utroque comparandus est, quamquam quidem diversi meriti habeantur.]

[15] [operibusque piis operam dat.] Exin cœpere plures per dies de Scotorum regione venire Britanniam, atque illis Anglorum provinciis, quibus Rex regnavit Oswaldus, magna devotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptismi, quicumque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Constituebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum populi gaudentes. Donabantur munere regio possessiones, & territoria ad instituenda monasteria. Imbuebantur

præceptoribus Scotis parvuli Anglorum, una cum majoribus studiis, & observatione disciplinæ regularis. Nam monachi erant maxime, qui ad prædicandum venerant; monachus ipse episcopus Aidanus, utpote de insula, quæ vocatur Hi, destinatus, cujus monasterium in cunctis pene Septemtrionalium Scotorum, & omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad jus quidem Britannicæ pertinet, non magno ab ea freto discreta; sed donatione Pictorum, qui illas Britannicæ plagas incolunt, jam dudum monachis Scotorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperint.

CAP. V.

[16] Ab hac ergo insula ad provinciam Anglorum instituendam in Christo (uti jam sæpius præmissum est) missus est Aidanus, [Aidani virtutes,] accepto gradu episcopatus. [Monet igitur tempus, locus, persona, de vita, deque virtutibus tanti viri aliquid dicere, aliquantulumque meritis illius immorari, licet videamur a cæpta oratione paululum digredi. Nam laus tironis tum maxime extollitur, cum præceptor in ejus laudis præconio honoratur. Immo vero præceptor laude præconioque illius exaltatur, cum tiro ipsius præconio insignis redditur. Extitit igitur idem Aidanus maximæ virtutis vir, toto annisu studens, ut præclara verba honestis factis impleret.] Unde inter alia vivendi documenta, saluberrimum abstinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit: cujus doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam vivebat cum suis, ipse docebat. Nihil enim hujus mundi quærere, nihil amare curabat. Cuncta, quæ sibi a regibus vel divitibus sæculi donabantur, mox pauperibus, qui occurrent, erogare gaudebat.

[17] Discurrere per cuncta & urbana & rustica loca, [apostolici labores,] non equorum dorso, sed pedum

incessu vectus, nisi major forte necessitas compulisset, solebat, quatenus ubicumque aliquos vel divites vel pauperes incedens aspexisset, confestim ad hos divertens, vel ad fidei suscipiendæ sacramentum, si infideles essent, invitaret, vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynam, operumque bonorum executionem & verbis excitaret & factis. In tantum autem vita ipsius a nostri temporis segnitia distabat, ut omnes, qui cum eo incedebant, sive attonsi seu laici, meditari deberent, id est, aut legendis Scripturis, aut psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius & omnium, qui cum eo erant, ubicumque locorum devenissent. Et si forte evenisset, quod tamen raro evenit, ut ad convivium Regis vocaretur, intrabat cum uno clerico, aut duobus, & ubi paululum reficiebatur, acceleravit citius ad legendum cum suis, sive ad orandum egredi.

[18] Cujus exemplis informati tempore illo religiosi quique viri ac feminae consuetudinem fecerunt per totum annum, [ac præclara exempla:] excepta remissione Quinquagesimæ Paschalis, quarta & sexta sabbathi, jejunium ad nonam usque horam protelare. Numquam divitibus honoris sive timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat; sed aspera illos invectione corripiebat. Numquam potentibus seculi pecuniam excepta solummodo esca, si quos hospitio suscepisset, umquam dare solebat, sed ea potius, quæ sibi a divitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in usus pauperum, ut diximus, dispergebat, vel ad redemptionem eorum, qui injuste fuerant venditi, dispensabat. Denique multos, quos pretio dato redemerat, redemptos postmodum suos discipulos fecit, atque ad sacerdotalem usque gradum erudiendo atque instituendo provexit.

[19] [qui in salutem Anglorum,] Ferunt autem, quia cum de Scotorum provincia rex Oswaldus antistitem postulasset, qui sibi suæque genti verbum fidei

ministraret, missus fuerit primo alius vir austerioris animi; qui cum aliquamdiu genti Anglorum prædicans nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit patriam, atque in conspectu seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eo quod homines essent indomabiles, & duræ mentis ac barbaræ. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti, quam petebat, salutem esse; sed non recepto, quem miserant, prædicatore dolentes. Tum ait Aidanus (nam ipse concilio intererat) ad eum, de quo agebatur, sacerdotem: Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, & non eis juxta Apostolicam disciplinam, primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora, & ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent.

[20] [alteri ad hoc ministerium minus idoneo suffectus fuit.] Quo audito, omnium, qui considebant, ad ipsum ora, & oculi conversi, diligenter quid diceret, discutiebant, & ipsum dignum esse episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos, & indoctos mitti debere decernunt: qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus: sicque illum ordinantes, ad prædicandum miserunt. Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum & cæteris virtutibus ornatus apparuit.

CAP. VI.

Hujus igitur antistitis doctrina rex Oswaldus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cælorum sperare didicit; sed & regna terrarum, plusquam ulli Majorum suorum, ab eodem uno Deo, qui fecit cælum & terram, consecutus est. Denique omnes nationes, & provincias

Britanniæ, quæ in quatuor linguas, id est, Britonum & Pictorum, Scotorum, & Anglorum divisæ sunt, in deditionem accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus (quod mirum dictu est) pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus & largus fuit.

ANNOTATA.

De Scotici, circa observationem Paschæ, erroris causa, progressu ac fine agitur apud nos tom. 11 Junii pag. 190 & seqq. Ubi invenies, quod errantes Scoti, initio insontes, deinde culpabiles, postea pertinaces; non tamen hæretici fuerint. Ceterum ut quæstio sit mota de tempore Paschæ, adversus eos, qui de Scotia venerant, inscribitur caput 25 libri 3 apud Bedam.

Verum hoc non esse, conficitur ex iis, quæ Colmano, auctoritatem Anatolii alleganti respondet S. Wilfridus, de quo infra, ita loquens apud Bedam lib. 3, cap. 25: Constat .. Anatholium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum: sed quid vobis cum illo, cum nec ejus decreta servetis? Ille enim in Pascha suo regulam utique veritatis sequens, circulum novemdecim annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum a tota Christi ecclesia custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Paschæ Dominicum decimam quartam lunam computavit, ut hanc eadem ipsa die, more Ægyptiorum decimam quintam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem vicesimam diem Dominico Paschæ annotavit, ut hanc, declinata eadem die, esse vicesimam primam crederet. Cujus regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquotiens Pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertia decima luna facitis.

CAPUT III.

**Manus Sancti a corruptione immunes; religionis
Catholicæ propagatio; virtutes; obitus, &
consecuta hunc miracula.**

[Manus S. Oswaldi, eleemosynis intentæ,] Denique fertur, quia tempore quodam, cum die sancto Paschæ cum præfato Aidano episcopo consedisset rex Oswaldus ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus, regalibus epulis refertus, & jamjamque essent manus ad panem benedicendum mittendæ, contigit intrasse subito ministrum ipsius, cui suscipiendorum inopum cura erat delegata, & indicasse Regi, quia multitudo pauperum, undecumque adveniens, maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a Rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, sed & discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso, pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, & ait; Numquam inveterascat hæc manus. Quod & ita juxta votum benedictionis ejus provenit.

[22] [a corruptione immunes servantur.] Nam cum, interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cætero essent corpore resectæ; contigit, ut hactenus incorruptæ perdurent. Denique in urbe regia, quæ a regina quadam vocabulo Bebbæ cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in ecclesia sancti Petri servantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Hujus industria Regis Deirorum & Bernitorum provinciæ, quæ eatenus ab invicem discordabant, in unam sunt pacem & velut unum compaginatæ in populum. Erat autem neptis Eadui regis ex sorore Leba; dignumque fuit, ut tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate & religionis heredem & regni.

CAP. VII.

[23] [Curat religionem Catholicam apud alios extendi:] [Non solum autem Oswaldus rex gloriosissimus suæ gentis sollicitus fuit; verum etiam aliarum gentium, quæ sub extero jure regum erant constitutæ, volens omnes ad cultum unius veri Dei, veræque religionis tramitem adducere, quapropter suos ecclesiasticos nuntios ad amicissimos sibi reges mittebat, ad fidei suæ lumen provocans; tum vero litteris, tum autem regiis xeniiis animos eorum sedulo alliciebat. Nonnumquam per se, suique præsentiam eos monebat, uti religionem suam pio quidem animo amplecterentur, Deoque omnipotenti colla submitterent; eo victores hostium gloriose existerent; in quo sperare, sive inniti, veram semper victoriam esse affirmabat. Unde unum de multis exemplum ponemus. Et id quidem sufficiat tam gloriosa facta tanti Regis legentibus.] Suo in tempore, gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur, regnante Cynigilfo, fidem Christi suscepit, hortante ad eam ipsam Oswaldo sanctissimo rege, ac prædicante illis Byrino episcopo, qui consilio Papæ Honorii venerat Britanniam, promittens quidem se, illo præsentem, intimis ultra; Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum; unde & jussu ejusdem Pontificis per Astrium, Genuensem episcopum, in episcopatus consecratus est gradum.

[24] Sed Britanniam veniens, ac primum Gevissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est, ibi potius verbum Dei prædicare, quam ultra progrediens, eos quibus prædicare deberet, inquirere. Itaque evangelizante illo in præfata provincia, cum rex ipse catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, [Britanniæ regis, quem de sacro fonte suscepit, filiam ducit uxorem.] contigit tunc temporis sanctissimum, ac victoriosissimum regem Northanimbrorum Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro exeuntem suscepisse, ac sic accidisse

pulcherrimo prorsus ac Deo digno consortio: nam cujus erat filiam accepturus in conjugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. Donaverunt autem ambo reges eidem episcopo civitatem, quæ vocatur Dotynca, ad faciendam inibi sedem episcopalem.

[25] [At idem Rex insignis virtutibus, Christique præclarus athleta, [Laudatur a virtutibus:] Spiritu sancto regente omnes actus ipsius, semper in melius proficiebat, de virtute in virtutem ibat, ut mereretur assequi quod sequitur; Videbitur Deus deorum in Sion. Dein usque actu suo, tum autem mente quatuor virtutes, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam amplexabatur, & quasi quoddam sanctum justumque, per quas acquiritur cælum, aditur Deus, præ se ferebat: tum autem memoriæ quasi charissima pignora fixas tenebat. Semper denique bonus, pius, mansuetus bonis habebatur: ferox vero, asper, & velut arrogans impiis videbatur, ut bonitas illius bonis, & asperitas, uti videbatur, impiis prodesset. Verum id quidem norma justitiæ tenet, ut blandiantur & hortentur justi exemplo, miti verbo, bono opere; injusti quoque deterreantur aspera invectione. Sic utique actus suos, sic mores, sic vitam instituit, ut sibi, & omnibus prodesse optaret. Haud possunt omnia scripto prosequi, quibus vigeat, quibusque Rex juvenis versans in hoc corpore, nunc opere, nunc animo exercendo studebat. Quapropter properandum nobis est ad illius martyrium, quod pro fide sua, suæque gentis salute suscepit, quo Princeps omnium regum digne pro meritis tam optimum Regem insignivit.]

CAP. IX.

[26] Regnavit igitur Oswaldus, Christianissimus rex decem annis [in cunctis bonis operibus virtutum sese exercens, [mortem obit,] quæ jam prædiximus, seu quibus quemque

debet Christianum debere exerceri.] Quo completo annorum curriculo, occisus est, commisso gravi prælio, ab eadem pagana gente, paganoque rege Merciorum Penda (a quo & prædecessor ejus Eadwinus peremptus fuerat) in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maserfeld, anno ætatis suæ trigesimo octavo, die quinto mensis Augusti. [Verumenimvero claret, manifestumque habetur de illo, quod in Salomone legitur; Raptum esse hunc, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Raptus enim juvenis est, ut talis necdumque vix etiam mediæ ætatis, a Deo coronaretur, qui continuum & puer & juvenis famulatum ipsi exhibuit.] Cujus quanta fides in Deum, quæ devotio mentis fuerit, etiam post mortem miraculis virtutum claruit. Namque in loco, ubi pro patria dimicans, a paganis interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum, & hominum & pecorum celebrari non desinunt.

[27] Unde contigit, ut pulverem ipsum, ubi corpus ejus in terram corruit, [quam varia] multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hæc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata exinde terra fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum, in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viveret, infirmis ac pauperibus consulere, & eleemosynas opem ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo de pulvere loci illius, facta virtutum miracula narrantur; sed nos tantum, quæ a Majoribus audivimus, referre satis duximus. Non multo post interfectionem ejus exacto tempore, contigit, ut quidam equo sedens, iter ageret juxta illum locum. Cujus equus subito lassescens constitit, caput in terram declinare, spumas ex ore dimittere, & augescente dolore nimio, in terram cœpit ruere.

[28] [consecuta sunt in ejusdem loco] Desiluit eques, & tramite subtracto, cœpit expectare horam, qua aut

melioratum reciperet jumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum gravi dolore diu vexatum cum diversas in partes se torqueret, repente volutando devenit ad illum locum, ubi Rex memorabilis occubuit. Nec mora, quiescente dolore, cessavit ab insanis membrorum motibus, & consueto equorum more, quasi post lassitudinem in diversum latus vicissim sese volveret, statimque exurgens, quasi sanus per omnia vireta herbarum avidius carpere cœpit. Quo ille viso, ut vir sagacis ingenii intellexit, aliquid miræ sanctitatis huic loco, quo equus est curatus, inesse, & posito ibi signo, non multo post ascendit equum, atque ad hospitium, quo proposuerat, accessit.

[29] Quo dum adveniret, invenit ibi puellam neptem patrisfamilias longo paralysis morbo gravatam. [miracula.] Et cum familiares domus illius de acerba puellæ infirmitate, ipso præsentem, quererentur, cœpit dicere ille de loco ubi caballus suus esset curatus. Quid multa? Imponentes eam carro, duxerunt ad locum, ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormivit parumper, & ubi evigilavit, sanam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua, ipsa lavit faciem, crines composuit, caput linteo cooperuit, & cum his, qui se adduxerant, sane pedibus incedendo, reversa est.

ANNOTATA.

Hanc a seculo VII usque ad XVII, corruptioni obnoxiam non fuisse, probat Commentarius prævius num. 19 & seqq.

CAPUT IV.

**Alia quædam prodigia; translatio ossium;
maligni spiritus abacti.**

CAP. X.

Eodem tempore venit alius quidam de natione Britonum, [Alia quædam] ut ferunt, iter faciens juxta ipsum locum, in quo præfata erat pugna completa, & vidit unius loci spatium cætero campo viridius ac venustius, cæpitque sagaci animo conjicere, quod nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quod ibidem sanctior cætero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de pulvere terræ illius secum, illigans in linteo, cogitans, quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem pulvis proficeret. Et pergens itinere suo, pervenit ad vicum quemdam vespere, intravitque domum, in qua vicini cœnantes epulabantur, & receptus a dominis domus, resedit & ipse cum eis ad convivium, appendens linteolum cum pulvere, quem attulerat, in uno poste parietis.

[31] Cumque diutius epulis atque ebrietati vacarent, accenso grandi igne in medio, [prodigia,] contigit, volantibus in altum scintillis, culmen domus, quod erat virgis contextum, ac fæno tectum, subitaneis flammis impleri. Quod cum repente convivæ terrore confusi conspicerent, fugerunt foras, nil ardenti domui jamjamque perituræ prodesse valentes. Consumpta ergo domo flammis, postis solummodo, in quo pulvis ille inclusus pendebat, tutus ab ignibus, & intactus remansit. Qui visa virtute, mirati sunt valde, & perquirentes subtilius, invenerunt, quia de illo loco assumptus erat pulvis, ubi regis Oswaldi sanguis fuerat effusus. Quibus patefactis, ac diffamatis longe lateque miraculis, multi per dies locum frequentare illum, & sanitatum ibi gratiam capere sibi suisque cœperunt.

CAP. XI.

[32] Inter quæ nequaquam silentio prætereundum reor, quid virtutis & miraculi cælestis fuerat ostensum, cum

ossa ejus inventa, [Translatio ossium] atque in ecclesiam, in qua nunc servantur, translata sunt. Factum est autem hoc per industriam reginæ Merciorum Ostridæ, quæ erat filia fratris ejus, id est Oswinges, qui post illum, regni apicem tenebat, ut in sequentibus dicemus. Est monasterium nobile in provincia Lindissi, nomine Beardanige, quod eadem regina cum viro suo Aedelredo multum diligebat, venerabatur, excolebat, in quo desiderabat honoranda Patruī sui ossa recondere. Cumque venisset carrum, in quo eadem ossa ducebantur, incumbente vespere, in monasterium præfatum, noluerunt ea, qui erant in monasterio, libenter excipere; quia etsi Sanctum eum noverant, tamen quia de alia provincia ortus fuerat, & super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequabantur. Unde factum est, ut ipsa nocte reliquiæ allatæ foris permanerent in tentorio, tanto majore signo supra carrum, in quo inerant, extensæ. Sed miraculi cælestis ostensio, quam reverenter hæ suscipiendæ a cunctis fidelibus essent, patefecit.

[33] [cælitus honoratur;] Nam ea nocte columna lucis, a carro illo ad cælum usque porrecta, omnibus pene ejusdem Lindissæ provinciæ locis conspicua stabat. Unde, mane facto, fratres monasterii illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, ut apud se eadem sanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Lota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc præparaverunt, atque in ecclesia juxta honorem congruum posuerunt. Et ut regia Viri sancti persona memoriam haberet æternam, vexillum ejus super tumbam auro & purpura compositum apposuerunt, ipsamque aquam, in qua laverant ossa, in angulo sacrarii fuderunt.

[34] [eaque prosunt] Ex quo tempore factum est, ut ipsa terra, quæ lavacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones, gratiæ salutaris haberet effectum. Denique tempore sequenti, cum

præfata regina in eodem monasterio moraretur, venit ad salutandam eam abbatissa quædam venerabilis, quæ usque hodie superest, vocabulo Ædelhild, soror virorum sanctorum Aedelwini, & Aldwini: quorum prior episcopus in Lindissi provincia; secundus erat abbas in monasterio, quod vocatur Peartaniga, a quo non longe & illa monasterium habebat. Cum ergo veniens illo, loqueretur cum regina, atque inter alia, sermone de Oswaldo exorto, diceret, quod & ipsa lucem nocte illa supra reliquias ejus ad cælum usque altam vidisset, adjecit regina, quia de pulvere pavimenti, in quo aqua lavacri illius effusa est, multi jam sanati essent infirmi. At illa petiit sibi portionem pulveris salutiferi dari, & accipiens, illigatum primo condidit in capsella, & rediit.

[35] [ad abigendos] Transacto autem tempore aliquanto, cum esset in suo monasterio, venit illuc quidam hospes, qui solebat nocturnis sæpius horis ab immundo spiritu gravissime vexari. Qui cum benigne susceptus, post cœnam in lecto membra posuisset, subito a diabolo arreptus, clamare, dentibus frendere, spumare, & diversis morsibus cœpit membra torquere. Cumque a nullo vel teneri, vel ligari potuisset, cucurrit minister, & pulsans ad ostium, nuntiavit abbatissæ. At illa aperiens januam monasterii, exivit ipsa cum una sanctimonialium feminarum, ad locum virorum, & evocans presbyterum, rogavit secum venire ad patientem.

[36] [sua vi] Ubi cum venientes viderent multos adfuisse, qui vexatum tenere, & motus ejus insanos comprimere nequaquam conati valebant, dicebat presbyter exorcismos, & quæque poterat pro sedando miseri furore cogebat; sed nec ipse, quamvis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem abbatissæ pulvis ille præfatus, statimque jussit ire ministram, & capsellam, in qua erat, adducere. Et cum illa afferens,

quæ jussa est, intraret atrium domus, in cujus interioribus dæmoniacus torquebatur, conticuit ille subito, & quasi in somnum laxatus, deposuit caput, membraque in quietem omnia composuit.

[37] Conticuere omnes, intentique ora tenebant, quem res exitum haberet, [malignos spiritus.] solliciti expectantes. Et post aliquantum horæ spatium resedit qui vexabatur, & graviter suspirans, Modo, inquit, sanum sentio: recepi enim sensum animi mei. At illi sedulo sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Qui ait: Mox ut virgo hæc cum capsella, quam portabat, appropinquaret atrio domus hujus, discessere omnes, qui me premebant, spiritus maligni, & relicto nusquam comparuerunt. Tunc dedit ei abbatissa portiunculam de pulvere illo, & sic data oratione a presbytero, noctem illam quietissimam duxit, neque aliquid ex eo tempore nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoste pertulit.

CAPUT V.

Curatæ febres; Sancti apud Deum patrocinium;
quidam sanitate corporis & animæ donatus; uti &
puer prædicatione arcanorum,
& fruitione gloriæ cælestis.

CAP. XII.

Sequente dehinc tempore fuit in eodem monasterio puerulus quidam longo febrium incommodo graviter vexatus. [Puerulus a febribus sanatur.] Qui cum die quadam sollicitus horam expectaret accessionis, ingressus quidam ad eum de fratribus, Vis, inquit, doceam te, quomodo cureris ab hujusmodi imminente molestia languoris? Surge, ingredere ecclesiam, & accedens ad sepulchrum Oswaldi, ibi reside, & quietus manens adhære tumbæ. Vide, ne exeas inde, nec de loco

movearis, donec hora recessionis februm transierit: tunc ipse intrabo, & educam te inde. Fecit ut ille suaserat; sedentemque eum ad tumbam Sancti, infirmitas tangere nequaquam præsumpsit. Quæ in tantum timens aufugit, ut nec secundo die, nec tertio, neque umquam exinde, eum auderet contingere. Quod ita esse gestum, qui referebat mihi frater inde adveniens adjecit, quod eo adhuc tempore, quo mecum loquebatur, superesset in eodem monasterio jam juvenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculum sanitatis.

[39] [Datur ratio, cur Sanctus tantum valeat apud Deum.] Nec mirandum, preces Regis illius, jam cum Domino regnantis, multum valere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno semper laborare ac deprecari solebat. Denique ferunt, quod a tempore matutinæ laudis, sæpius ad diem usque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi sive gratias agendi Domino, semper ubicumque sedens supinas super genua sua a manus habere solitus sit. Vulgatum est autem, & in consuetudinem proverbii versum, quod etiam inter verba orationis vitam finierit. Nam cum armis & hostibus circumseptus, jamjamque videret, se esse perimendum, oravit pro animabus exercitus sui. Unde dicunt in proverbio: Deus, miserere animabus, dixit Oswaldus cadens in terram. Ossa igitur illius translata & condita sunt in monasterio, quo diximus. Porro caput cum manibus & brachiis a corpore præcisus jussit rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi. Quo post annum deveniens cum exercitu successor regni ejus Osuig, abstulit ea, & caput quidem in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ; in regia vero civitate manus cum brachiis condidit.

[40] [Fama ejus in Germania & Hibernia claret.] Nec solum inclyti fama Viri Britannicæ fines lustravit universos; sed etiam trans oceanum longe radios salutiferæ lucis

spargens, Germaniæ simul & Hiberniæ partes attigit. Denique reverendissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Frisonum gentis archiepiscopum Wilbrordum cum suo antistite moraretur, crebro eum audierit de mirandis, quæ ad reliquias ejusdem reverendissimi Regis in illa provincia gesta fuerint, narrare. Sed & Hibernia cum presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumore sanctitatis illius, in ea quoque insula longe lateque jam percrebuisse referebat. E quibus unum, quod inter alia retulit, miraculum præsentis nostræ historiæ inserendum credimus.

[41] [Cuidam corpore & animo infirmo] Tempore, inquit, mortalitatis, quæ Britanniam Hiberniamque lata strage vastavit, percussus est ejusdem clade pestis inter alios scholasticus quidam de genere Scotorum, doctus quidem vir studio litterarum; sed erga curam perpetuæ suæ salvationis nil omnino studii & industriæ gerens. Qui cum se morti proximum videret, timere cœpit & pavere, ne mox mortuus ob merita scelerum ad inferni claustra raperetur: clamavitque, cum essem in vicinia positus, & inter ægra tremens suspiria, flebili voce talia mecum querebatur: Vides, inquit, quia jamjamque, crescente corporis molestia, ad articulum subeundæ mortis compellor. Nec dubito, me post mortem corporis, ad perpetuam animæ mortem rapiendum, atque infernalibus subdendum esse tormentis; quia tempore non pauco inter studia divinæ lectionis, vitiorum potius implicamentis, quam divinis solebam servire mandatis. Inest autem animo, si mihi pietas superna vivendi spatia aliqua donaverit, vitiosos mores corrigere, atque ad imperium divinæ voluntatis totam ex integro mentem vitamque transferre.

[42] Verum novi, non hoc esse meriti mei, ut inducias vivendi vel accipiam, [per Sanctum salus utriusque

reddita.] vel me accepturum esse confidam, nisi forte misero mihi & indigno veniam per auxilium eorum, qui illi fideliter servierunt, propitiari dignatus sit. Audivimus autem & fama celeberrima est, quod fuerit in gente vestra rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Oswaldus, cujus excellentia fidei & virtutis, etiam post mortem, virtutum frequentium operatione claruerit, precorque, si aliquid reliquiarum illius penes te habes, afferas mihi, si Dominus per ejus meritum mihi misereri voluerit. At ego respondi: Habeo quidem de ligno, in quo caput ejus occisi a paganis infixum est: & si firmo corde credideris, potest divina pietas per tanti meritum Viri, & hujus vitæ spatia longiora concedere, & ingressu vitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille, integram se in hoc habere fidem respondebat. Tunc benedixi aquam, & assulam roboris præfati immittens, obtuli ægro potandum. Nec mora: melius habere cœpit ab infirmitate; multo deinceps tempore vixit, corde & animo conversus, omnibusque, ubicumque perveniebat, clementiam pii Conditoris & fidelis ejus Famuli gloriam prædicabat.

Lib. IV. CAP. XIII, CAP. XIV.

[43] Quo tempore rex Edilwalch donavit reverendissimo antistiti Wilfrido terram octoginta septem familiarum, ubi suos homines, qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo Seole seu quod dicitur Latine Insula vituli marini. Est autem locus ille undique mari circumdatus, [Alius quidam puerulus morbo correptus] præter ab occidente; unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundæ: qualis locus a Latinis peninsula; a Græcis solet cherronesos vocari. Hunc ergo locum cum accepisset episcopus Wilfridus, fundavit ibi monasterium, ac regulari vita instituit, maxime ex his, quos secum adduxerat, fratribus, quod usque hodie successores ejus tenere noscuntur. In quo tunc monasterio nonnulla cælestis gratiæ dona spiritualiter ostensa fuisse perhibent: utpote

ubi nuper expulsa diaboli tyrannide, Christus jam regnare cœperat. E quibus unum, quod mihi reverendissimus antistes Acca sæpius referre, & a fidelissimis ejusdem monasterii fratribus sibi revelatum asserere solebat, memoriæ mandare, commodum duximus. Eodem ferme tempore, quo ipsa provincia nomen Christi susceperat, multas Britannicæ provincias mortalitas sæva corripiebat: quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo reverendissimus ac religiosissimus Christi sacerdos, vocabulo Eappa, præfuit, nutu divinæ dispensationis attingeret, multique sive de his, qui cum antistite illo venerant; sive de illis, qui de eadem provincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur; visum est fratribus, triduanum jejunium agere, & divinam suppliciter exorare clementiam, ut misericordiam sibi dignaretur impendere, sive periclitantes hoc morbo, a præsentis morbo liberaret; seu captos e mundo a perpetua animæ damnatione servaret. Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non modico tempore recubans in lectulo jacebat.

[44] Cum ergo secunda memorati jejunii ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum hora ferme secunda diei, in loco, in quo æger jacebat, solum inveniri: [ex SS. Apostolis Petro ac Paulo intelligit, se ad cælum esse perducendum, ac postiferam luem] cui divina dispensatione subito beatissimi Apostolorum Principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque devotione Sacramenta fidei, quæ susceperat, servans. Salutantes ergo illum verbis piissimis, Apostoli dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi. Sed primum exspectare habes, donec Missæ celebrentur, ac Viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate

simul & morte absolutus, ad æterna in cælis gaudia subleveris. Clama ergo ad te presbyterum Eappan, & dicitis illi: Quia dominus exaudivit preces vestras & devotionem, ac jejunia propitius aspexit; neque aliquis de hoc monasterio, sive de adjacentibus ei possessiunculis, hac clade moriturus est: sed omnes, qui alicubi de vestris hac ægitudine laborant, resurrecturi a languore, ad pristinam sunt sanitatem recuperandi, præter te solum, qui hodierna es die liberandus a morte, & ad visionem Domini Christi, cui fideliter servisti, perducendus in cælum.

[45] [per merita S. Oswaldi] Quod divina vobis misericordia per intercessionem religiosi ac Deo dilecti regis Oswaldi; qui quondam genti Nordan-Humbrorum, & regni temporalis auctoritate, & Christianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, devotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem Rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in cælum, & electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus, in quibus Defunctorum est annotata depositio, & invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de saeculo.

[46] [auferendam.] Celebrent ergo Missas per cuncta monasterii oratoria hujus, sive pro gratiarum actione exauditæ suæ deprecationis, sive etiam in memoriam præfati regis Oswaldi, qui quondam ipsorum genti præerat: ideoque pro eis, quasi pro suæ gentis advenis supplex orabat ad Dominum, & cunctis convenientibus ad ecclesiam fratribus, communicent omnes Sacrificiis cælestibus, & ita soluto jejunio, corpus quoque suis reficiant alimentis.

[47] [Quorum veritatem] Quæ verba cum omnia vocato ad se presbytero puer narrasset, interrogavit eum sollicitus,

quales essent habitu vel specie viri, qui sibi apparuissent. Respondit: Præclari omnino habitu, & vultu erant: lætissimi ac pulcherrimi, quales numquam ante videram: neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Unus quidem attonsus erat, ut clericus; alius barbam habebat prolixam: dicebantque, quod unus eorum Petrus, alter vocaretur Paulus; & ipsi essent ministri Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, ad tuitionem nostri monasterii missi ab ipso de cælis. Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisivit in annali suo, & invenit, eadem ipsa die Oswaldum regem fuisse peremptum. Vocatisque fratribus, parare prandium, Missas fieri, atque omnes communicare solito more præcepit: simul & infirmanti puero de eodem Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.

[48] [eventus comprobavit.] Quibus ita gestis, non multo post eadem ipsa die puer defunctus est, suaque morte probavit, vera fuisse verba, quæ ab Apostolis Christi audierat. Sed & hoc verbis ejus testimonium perhibuit, quod nemo præter ipsum, tempore illo, ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi, qui hæc audire potuerunt, & ad exorandam in adversis divinam clementiam, & ad salutaria jejuniorum remedia subeunda, sunt mirabiliter accensi. Et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed & in plerisque locis aliis cœpit annuatim ejusdem Regis ac militis Christi natalitius dies celebratione Missarum venerari.